



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Defensio manualis immoderata, vitiosa est, moderata verò permittitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

sum, peccatum est: quia plus quam recta ratio dictat, appetitum cognoscendi protrahit. Non est autem mortale peccatum: si nuda sit, hoc est nisi ex adiuncto fiat mortalitatis, ut si curiositas intantum exorbitet, ut dæmonibus utriusque velit magistris, vel ad periurium seu perfidiam inducere velit habetem aliquid in secreto, & sic de aliis, quæ possunt adiungi criminibus trahentibus curiositatem ad peccatum mortale.

*Decimorum non solutio pernicioſa sacrilegium reputatur.*

**D**ecimas soluere omittens ubi consuetum est solui, peccat mortaliter peccato sacrilegii: quia non reddit debitas res Ecclesiæ, cui tenetur reddere de necessitate salutis, constat enim hoc ex suo genere esse peccatum mortale, & sacrilegium, nisi propter imperfectionem actus, ut in aliis contingit. Vbi autem non est consuetum solui decimas, non peccat omittens soluere, salua tamen cura pastoris sui, ut habeat unde viuat honestè, si non habeat redditus unde viuere, secundum quod sibi congruit, possit: quia ad hoc pro sua rata quilibet ei subditus tenetur, nulla ipsi consuetudine suffragante.

*Defensio manualis immoderata, vitiosa est, moderata vero permittitur.*

**D**efensio manualis illicita dupliciter redditur. Primo, ex intentione, si scilicet, animo laedendi offendit. Nam defensio debet esse suo fine contenta, scilicet ut defendat: præter intentionem defendantis, si aliter non potest defensio fieri, nisi laedatur inuasor, debet illū laedere: ita quod laesio sequatur ex necessaria defensione. Et hinc peccat mortaliter,

G 4 quā

104 Delectatio morosa.

qui non curant seruare illæsos inuasores, quum pos-  
sunt aliter defensionem exercere. Secundo ex immo-  
deramine tutelæ, vim eniū vi repellere licet, sed cum  
moderamine inculpatæ tutelæ. Et intelligitur de im-  
moderamine ex proposito, qui enim putat inoderare  
defendere, & præter propositum non aduertere ali-  
qualiter excedit, aut non peccat, aut leuiter: quin  
humana actio in exercitatione exteriori accensa, non  
omninodæ subdatur mensuræ.

*Delectatio debet esse discreta: quod si  
modum excedat, vitiosa est  
& damnabilis.*

**D**electatio morosa (hoc est voluntaria delecta-  
tio de actu malo cogitatio sine voluntate exe-  
quendi cogitatum actum illum malum) exigit ex du-  
plici capite discretionem, scilicet ex parte consensus,  
ex parte actus, de quo est delectatio, qui actus dici-  
tur, & est obiectum delectationis. Ex parte siquidem  
actus obiecti iuxta naturam actus de quo est, dele-  
ctatio iudicanda est: ita quod si actus de quo quis co-  
gitando delectatur, est peccatum mortale (puta adul-  
terium, fursum, homicidium &c. ipsa quoque moro-  
sa delectatio est peccatum mortale, & si actus de quo  
quis cogitando delectatur, est peccatum veniale (pu-  
ta iocari verbis lœtis, comedere laute &c.) ipsa quoq;  
morosa delectatio est peccatum veniale. Ex parte ve-  
ro personæ iuxta veritatem deliberati consensus iu-  
dicanda est. Nam si persona cogitando de actu quan-  
tumcumque malo delectetur non aduertendo ad id  
de quo delectatur (ita quod si aduerteret, non appro-  
baret) non est ibi peccatum mortale, etiam si per unū  
diem sic inaduertenter cogitaret & delectaretur: quia  
non potest esse mortale peccatum sine rationabili  
consensu, qui in proposito deesset. Si vero aduertere  
incepit,